



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dvx Spiritvalis

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.Xiii.

Introductio. In qua ostenditur excellentia scientiæ spiritualis, quæ per Orationem & reliqua vitæ Contemplatiuæ opera, de quibus in hoc libro agitur, obtinetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48784](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48784)

INTRODVCTIO.

IN QVA OSTENDI-
TVR EXCELLENTIA SCI-
ENTIAE SPIRITVALIS, QVAE PER
ORATIONEM & reliqua vitæ CON-
TEMPLATIVAE opera, de
quibus in hoc libro agitur,
obtinetur.

Lib. de orat-
do Deam in
principio.



Vplici nomine ait S. Chryso-
stomus, plurimum teneri nos omnes,
laudibus euehere ac suspicere San-
ctos Patres, qui nos præcesserunt:
tum, quòd exemplo suo nos orare docuerint;
tanti facientes orationem, vt salutis ac perfe-
ctionis suæ spẽ in ea collocarint: tum quòd do-
ctrinam directionemque à Deo ipso, circa ex-
cellentem hanc virtutem, acceptam, intercide-
re passi non sint: sed scriptam reliquerint, vt
eorum posteris vsui, & vtilitati esset, more pa-
rentum, qui suas diuitias thesaurosque filijs su-
is relinquere cõsueuerunt. Et, ne soli propriæ ex-
perientia fiderent, confirmarunt, quæ scripta
reliquerunt insignibus testimonijs sacrarum
litterarum, in quibus huiusmodi thesauri sunt
absconditi: Nam ingressi illi huius immensi
maris altitudinem, in quo veritatum, virtutũ-
que cœlestium gemmæ inueniuntur, in lucem
eas produxerunt, quòd & seiplos, & cæteros di-
tarent, atque exornarent. Ex altissimo verò hu-

ius ma-

ius maris, scientiam quoque spiritus hauserunt, quæ viam docet perfectæ sanctitatis, & occultiore, magisque familiarem cum Deo, & occultis eius mysterijs tractatione: propter quâ causam appellatur Scientia mystica, secretaque siue occulta, quæ sensim comparatur actionibus vitæ cõtemplatiuæ, quam S. Bernardus appellauit *Lectiõem* sacrorum & piorum librorum: *Meditationem* diuinorum mysteriorum; *Orationem*, qua diuina dona à Deo petuntur; & iucundâ magnitudinû eius *Contemplatione*, in qua altissimæ huius scientiæ perfectio consistit. cuius scientiæ excellentiarû breuè hic summam ponam, vt omnes ad eam procurandam alliciamur. Omni enim dubio procul, reliquas scientias omnes, artesque huius mundi incomparabiliter excedit: quia omnibus illis excellentior est, nobilior, sanctior, vtilior, delectabilior, durabilior, ac finis denique vltimus, in quo huius vitæ beatitudo, ad quam omnes illæ diriguntur, consistit.

ALTIOR est, quia proprium eius obiectum est ipse Deus: & quidquid hæc scientia pertractat, versatur circa altissima eius Diuinitatis & humanitatis mysteria: quod si etiam de nostris miserijs agit, id facit, vt nos ab eis eruat, extollens materiam hanc ad altissimum finem æternæ nostræ beatitudinis. Ideoque diuina sapientia iubet, vt ipsam audiamus: a *quoniam de rebus* inquit, *magnis locutura sum*. imo de maximis, quæ vel in terra, vel in cælo esse possunt.

E R

Initio Scalæ
claustraliû.38
Scientiæ mysticæ
extolentis.I.
a Prov. 3. 6.DUX SPIRITUS
DE PONTE

2.

Est etiam omnium scientiarum **NOBILISSIMA**, quia eius origo & principium, à quo suam ducit nobilitatem, est Spiritus S. qui præcipuus est eius Magister, vnà cum infusæ sapientiæ dono: qui non eam docet, nisi eos, qui nobilitatem habent filiorum Dei, aut quibus simul cum eadem doctrinâ nobilitatem communicat, vt ita impleatur, quod scriptum est in Prophetis, quod *b vniuersi filij Ecclesiæ docti essent à Domino, siue c docibiles Dei*. Ex quo fit, vt eminenter appellari possit hæc scientia **SANCTA**: quia eam addiscentes, sanctos facit, heroicisq; virtutib. exornans, (vt Sapiens ait) *d amicos Dei constituit*, arctâ valde & perfectâ amicitia: ideoque illam appellat *e scientiam Sanctorum*: quia reliquæ scientiæ sunt communes etiâ peccatoribus: qui esse possunt sicut Cherubini propter scientiæ plenitudinē, qualis fuit Lucifer: sed hæc scientia constituit Seraphinos, non solum eos illustrando, sed inflammando etiam igne charitatis, quæ (teste Hugone de S. Victore) eò penetrat, quò scientia nō pertingit, eò q̄ plus diligit, quàm intelligat, magisq; feruentibus, affectib. quàm subtilibus ratiocinationibus innitatur. Hinc etiam prouenit, vt eadē sit summè **VTILIS**, eò, quod sit mater *f omnium bonorum qua cum illa pariter veniunt*, cum innumeris diuitijs, valoris & pretij æstimabilis, & quamuis præcipui eius thesauri sint spirituales, quamobrem sapiens *g infinitum eius thesaurum hominibus* appellat; ex commodis tamen, quæ Spiritus accipit

b Isai .54. 13.

c 1o. 6. 3. 43.

3.

d Sapien. 7.

e 7.

f Sap. 10. 10

in cap. 7. An-

gcl. Hierar-

chia.

4.

h Sap. 7. 11.

DE SCIENTIA SPIRITUALI.

cipit alia etiam plurima valde honorifica, corporique salutaria deriuantur: Quia ingenti letitia, quiete, & solatio gaudet. quare qui illam possidet, pluris multo eam facit, ac h *diligit, super* h Sap. 7. 10. ipsam salutem & speciem, siue corporis pulchritudinem: *præponit illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse ducit in comparatione illius; non illi comparat lapidem pretiosum: omne aurum tanquam arenam exiguum, & argentum tanquam lutum reputat.*

Huc accedit quod eadem scientia **DIVINISSIMA** sit, & præ omnibus alijs scientijs maximè oblectet. *i Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius, sed letitiam, & gaudium.* Nam contemplatio (teste S. Gregorio) est ipsamet dulcedo, adeò amabilis, vt animam supra seipsam eleuet, eique secreta reuelat cælestia, ac delicias charitatis præbeat degustandas. Et teste Diuo Thoma, Contemplationis voluptas tantum excedit omnes reliquas humanas voluptates, quantum ipse spiritus carnem excedit; & gaudium, quod oritur ex amore Creatoris, excedit omne illud, quod vilis Creaturæ amor efficere potest.

Huc accedit alia Contemplationis excellentia, quod sit valde *diuturna*, diuque duret. *ubi supra* k Luc. 10. 42. *ubi supra* D. Thom. *ubi supra* 2. 2. *ubi supra* 1. 1. Cor. 13. 8. *ubi supra* 1. 1. Cor. 13. 8. *ubi supra* 1. 1. Cor. 13. 8. *ubi supra* 1. 1. Cor. 13. 8.

pars enim, quam elegit Maria, & optima est, & non auferetur ab ea; Et (vt ait S. Greg.) Contemplatio, quæ in hac vita inchoatur, in altera perficitur: quia *charitas*, (teste Apostolo), *nunquam excidit*: & quæ in hoc exilio & peregrina-

):():(grina-

UX SPIR
IE PONTE

7. grinatione Deum diligebat, obscura eum fide
contemplando: multò ampliùs diliget in celo,
eundè claro lumine intuendo: confirmat verò
hæc omnia, quod beatitudo, quæ in hac vita rã-
quam pignus æternæ illius, quam in ipsa gloria
speramus, obtineri potest, consistat in exerci-
tatione sanctæ huius, ac delectabilis Scientiæ &
Sapientiæ altissimæ: quia cum amore contem-
plamur ipsummet Deum, in quo omnis nostra
8. quies solatiumque consistit.

Ac denique cum tanta sit sapientiæ huius cel-
situdo, est adeò infinita magni nostri Dei libe-
ralitas, vt omnibus iustis dona habitusque com-
municet, à quibus nobilissimæ eius actiones e-
xercitationesque proueniunt, quas omni ho-
minum generi in omnibus statibus, & officijs
largitur, ne vllus à tam excelso bono se iudicet
exclusum, modò illud desideret, magnoque af-
fectu à Deo petat: sunt enim desiderium & o-
ratio potissimum medium ad illud obtinen-
dum, vt sapiens ipse falsus est dicens: *in optavi,*
& datus est mihi sensus intelligentiæ, & inuoca-
ui Deum, & venit in me spiritus sapientiæ. O fe-
lix desiderium, quo ad tantum bonum recipien-
dum disponimur! O beata oratio, quæ talem
Spiritum obtinet? Quis adeo in agendo remis-
sus erit, vt tantas Diuinæ huius scientiæ excel-
lentiæ audiens, non eius amore accendatur?
non clamet? non spirans gemat, vt illam ob-
tineat? magno Spiritus feruore dicens: O sa-
pientiæ æterna, quæ absque vlla inuidia te crea-
turis tuis communicas, tuosque filios, & dile-

ctos.

DE SCIENTIA SPIRITUALI.

Etos amicos, tui participes facis, veni ad Spiritum meum, tuoque illum reple: quod ita te cognoscat ametque, ut ex utroque unus fiat. O pater supreme, nō mitte diuinam hanc sapientiam de calis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuae ut mecum sit, & mecum laboret: ut sciam, quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobrie, ut mihi expedit. o Si difficile estimamus, quae in terra sunt: & quae in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quae in calis sunt abscondita, quis inuestigabit? sensum autem tuum quis scit, nisi tu dederis sapientiam. & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? eum ergo mitte, quia ea nobis reuelet, ut quod tibi placitum est, seper faciamus, procurantes ita implere, quidquid nobis praecipis, ut et obtineamus, quod promittis. Amen

n Sap. 9.10.
o vers. 16.

Partitio huius libri.

Quoniam verò Spiritus S. qui huius scientiae Magister est, non excludit nostram diligentiam & hominum instructionem, ac directionem, praecipue Sanctorum, quos ipse eam docuit, quod alios illi doceant, hanc inquam ob causam ex ijs, quae in suis libris scripta reliquerunt, à Diuino hoc Magistro instructi, qui usque in hunc diem non cessat hoc officio erga paruulos fugi, excepi ego hunc librum, qui sit quasi Dux spiritualis omnibus illis, qui hanc scientiam addiscere, & in vitae contemplatiuae actionibus proficere cupiunt. quem librum partimur in 4. partes, in quarum

):():(2 PRIMA

DUX SPIRITUALIS
PONTIS

INTRODUCTIO.

PRIMA agatur de familiari animæ cum Deo tractatione per ipsam Orationem, Dei que cum anima per Diuinas suas inspirationes. In qua parte colligemus quiddam excellentissimum, & defæcatissimum est ipsius spiritus, id, quod est tanquam flos vitæ contemplatiuæ, & quod ordinariè illi experiuntur, qui excellæ huic mentalis Orationis exercitati- ni se dedunt: siue illud respicias, quod ipsi præstant; siue quod à Deo, dū illos visitat, accipiūt.

SECUNDA pars erit de sacrorū, piōrumque librorū lectione, & Meditatione Diuinorū my- steriorū, adhibita lectione & studio librorum mysticorū huius scientiæ, qui sunt, propria con- scientia; creaturæ spectabilis huius mundi; vi- tæ Sanctorum & ipsius Sancti Sanctorum: quod perfecta sui ipsius cognitio Christi que Domini, ac Dei obtineatur, quatenus ea ex ratiocinatio- ne creaturarum elicitur; & simul feruentes af- fectus concipiantur, qui ex hisce cognitioni- bus, cum perfectæ sunt, enascuntur.

TERTIA pars erit de perfecta contempla- tione & vnitione cū Deo Dño nostro, quæ perti- net ad VIAM VNITIVAM; ac de arcanis sci- entia mysticæ occultissimis, tã ordinarijs, quã extraordinarijs, eo modo, vt intelligi possint: quibus addentur etiam admirandi alij affectus coniunctionis, & amoris erga proximos, qui ipsam Mysticam scientiam comitantur. Et quã- uis harum rerum nonnullæ positæ fuerint in li- bro, ante paucos annos edito Meditationum, circa sanctæ fidei nostræ mysteria, & praxis o-

rationis

DE SCIENTIA SPIRITUALI.

rationis mentalis circa eadem: ibi tamen valde summatim id factum est, quia animus erat, materiam tantum, & argumentum Orationis, ac Meditationis, practicamque earum exercitacionem proponere, fusiori declaratione virtutum, quae comitantur orationem, & reliquarum rerum, quae in actionibus vitae contemplativae eveniunt, in hunc librum reiecta: in quo, Deo bene fauente, supplebimus, quidquid in illo altero defuit, theoriam ipsam praxi coniungentes, docentesque orare & agere cum Deo, quod simul utriusque exercitium conspiciatur. Ideoque singula ferè capita, Meditationum loco esse queunt, cum distinctione punctorum, quae possint in ipsa orationis collectione expendi.

Sed, quoniam perfecta oratio & contemplatio non potest esse sterilis, quartum his Tractatum addemus, de praecipuis vitae **ACTIVAE** actionibus in omni genere virtutum: quae actiones, cum sunt in quodam minus perfecto gradu, disponunt ad vitam contemplativam; in gradu verò perfectiori, sunt eiusdem fructus. Agemus autem de eisdem in utroque gradu, ut perfectionis cupidi in eo gradu eas inueniant, in quo illas desiderant. Simul etiam agemus de ratione Orationis, & Considerationis practicae, quae ipsas virtutes comitantur; De vita item **MIXTA**, quae ex contemplatione deducit ea, quae alios doceat, quod huiusmodi fructus non ad solam nostram perfectionem alligentur, sed extendant se ad proximorum quoque perfectionem. His autem declaratum, & perspicuum manebit,

);(:(3

quid

UX SPIR
IE PONTE

INTRODVCTIO.

quidquid pertinet ad vitā Actiuā & Contem-
platiuam, atque cōpositam ex vtraq; & quā alij
Theologiam Mysticam appellant, tam contem-
platiuam, quā practicam, cuius excellentias
initio tantum insinuauius, sed eadem fufius
in huius libri progressu tradentur, Quoniā au-
tē in his materiis adferri interdum solent ver-
ba quaedam grandiloqua, & noua, quæ ceteri ea
dicentem, altissimum aliquem sensum ha-
bere insinuent; rem ipsam tamen non ita de-
clarant, vt omnes possint eam intelligere, ope-
ram dabimus, vt rerum altitudini verborum
claritatem coniungamus, ea adhibentes, quæ
communi vsu (quæ maximē vera propriaque
sunt) vsurpantur: mysteria enim per se ipsa sunt
ad eā excellā, vt ad eorum debitam æstimatio-
nem opus non sit, nisi vt declarentur.

Et quamuis in hoc libro, qui DVX SPIRI-
TVALIS appellatur, studuerim non proprio
meo sensu duci, sed tanquam ducem sequi lu-
men fidei, ac Diuinæ Scripturæ, Sanctorūq; Pa-
trum expositionem, sicut supra dixi: tamen quia
tanquam homo labi possum, siue ex ignoran-
tia, siue inaduertentia, quidquid in hoc libro
scripsi, correctioni subijcio Sanctæ Matris Ec-
clesiæ, quæ columna est, & firmamentum
veritatis, stans nec in puncto
velle me ab ea di-
scedere.

INDEX